



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 10. Cur Deus permiserit Euam tantùm à Diabolo specie serpentis
tentari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

S. X.

Cur Deus permiserit Eam tantum à diabolo,
specie serpentis, tentari?

Quanquam & illud, cum D. Augustino
dici possit: *Non esse putandum, quòd diabolus
serpentem, per quem tentaret, elegerit; sed
cum decipere cuperet, non nisi, per illud animal
potuisse, per quod posse à Deo permissus est. No-
cendi enim cupiditas inest cuiq; à se; sed pote-
stas à solo Deo est.* Quod si quis scire velit,
cur DEVS non permiserit dæmoni, in leo-
nis, aut draconis, aut alterius immanioris
bestiæ larua hominem aggredi? respondent
sacri interpretes, ipsum dæmonem fuisse,
quavis bestia immaniolem ac fortiolem,
quia non est super terram potestas, qua com-
paretur ei, qui factus est, ut nullum timeret;
sed noluisse diuinam prouidentiam, ut ho-
mini, in statu innocentia, vis inferretur.
Vsq; adeò cum vndique muniuit, ut, nisi
liberè vellet, non posset superari, aut ca-
pere detrimentum. Itaque, quem viribus
non potuit vincere, fraude cepit Orcus. Ad
fraudem autem aptissima erat callidissima
bestiarum; ex cuius proinde intuitu solo
moneri potuit Eua, ut à fraude sibi ca-
ueret. Non cauit misera: digna igitur facta

S. Augu-
stin. li. 11.
de Ge-
nes. ad
lit. cap. 3.

Iob. c. 1.

est, quæ postea formidaret anguem, cui prius dominabatur. Quam poenam Deus ipse expressit, cum diceret: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & sementuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Quæ non dicuntur, quasi, ante peccatum, serpens virus nõ habuisset homini inimicum, cui id naturale erat; sicut & super pectus reptare, & terram comedere: sed quia hæc ante maledictionem, non faciebant serpentem homini abominabilem. Siquidem, ex speciali Dei providentia, in statu innocentia, virulenta homini nocere non potuerunt. Quod cum sciret Eua, serpentem non est auersata, sed cum eo familiariter conuersata. Post inobedientiam, & quæ ex ea profluxit, maledictionem, coepit serpens posse hominem veneno inficere; eaque de causa coepit ei esse execrabilis, de malignitate & pernicie; contemptibilis de vilitate, vt, qui humi reptaret, & terra vesceretur: quæ vi illius maledictionis, apud homines, probro esse coeperunt; prius, ei, ex natura, sine nota, conueniebant.